

Quaestio XXVII. De processione divinarum personarum.

Art. 1. Utrum processio sit in divinis.

1. De notione processionis.

In genere processio dicit originem unius in alio vel ab alio.

Origo unius in alio multipliciter illustrari potest. Forma substantialis originem habet in materia ex qua educitur vel in qua infunditur. Esse originem habet in essentia quam actuat et per quam limitatur. Formae accidentales, species sive intelligibiles sive sensibilibus, et habitus omnes et dispositiones originem habent in potentiis quas variis modis perficiunt. Actus denique seu operationes originem habent in potentiis, dispositionibus, habitibus quorum perfectibilitatem ad perfectionem adducunt.

Pariter origo unius ab alio pro diversitate efficientium et effectuum multiplicatur. Efficiens enim potest esse causa prima vel secunda, principalis vel instrumentalis; potest operari sine materia praelacente vel sine supposito recipiente, directe vel instrumento adhibito; potest producere vel esse vel esse determinationem, motum localem, alterationem, augmentum vel diminutionem, generationem vel corruptionem, habitualement vel actualement perfectionem accidentalem.

2. Qualis processio in divinis esse possit.

In primis constare videtur nullam processionem cum divina natura componi posse quae sit origo unius in alio. Nam in Deo nulla est potentia passiva seu perfectibilitas; at omnis origo in alio supponit illum alium esse imperfectum et perfectibilem.

Deinde clare apparet praeter nostram quaestionem esse omnem processionem ad aliquid extra ipsum Deum. Agitur enim de processione in divinis, i. e., de processione quae perficitur intra limites ipsius divinae naturae; ideoque praeter rem est omnis processio quae a Deo est origo eius quod Deus non est.

~~Quibus positis solam processionem quae in divinis esse possit~~

Quibus positis elucet aliam in divinis esse non posse processionem praeter eam quae secundum actionem seu operationem immanentem existat. In quantum enim habetur actio seu operatio, habetur origo unius ab alio. In quantum vero habetur actio seu operatio immanens, habetur origo unius ab alio intra limites ipsius divinae naturae.

3. Processio operationis et processio operati.

At circa ipsam operationem immanentem vitanda est confusio. Alia enim est origo ipsius operationis in potentia vel habitu vel specie vel forma; alia autem est origo ulterioris cuiusdam operati ab ipsa operatione. Illa supponit perfectibilitatem cuius perfectio est ipsa operatio, et cum in Deo nulla sit potentia passiva ab actu suo realiter distincta, eiusmodi processio in Deo poni non potest. Haec autem, cum et operatio et operatum pariter perfectionem seu actum dicuntur dicere possint, et saltem sub hoc aspectu divinae naturae non repugnat.

4. Processio intelligibilis.

Si vox "intelligibilis" late sumitur, omnis prorsus processio dicenda est intelligibilis. Omnis enim intelligi potest.

Stricte vero dicitur "intelligibilis" ad ea ^{significanda} ~~dicenda~~ quae sunt propria naturae intellectualis seu spiritualis. Ita S. Thomas intelligibile contra sensibile distinguit dicens: "Intellectus autem humanus se habet in genere rerum intelligibilium ut ens in potentia tantum, sicut et materia prima se habet in genere rerum sensibilium" [I, 87, 1 c].

Iam vero si ad processiones intelligibiles stricte dictas attendimus, illud eis proprium invenimus quod operatum ab operatione procedit non tantum ut effectus a causa proportionata sed etiam ut intelligibiliter necessitatum ex ratione sufficiente qua ratione et qua sufficiente.

Ita qui definitionem dicit, non ad modum doctae cuiusdam avis, sed secundum processionem intelligibilem, primo rem definiendam intelligit et deinde eo quod intelligit et secundum quod intelligit conceptus definiens format, seligit, unit. Qua in processione ~~prini~~ principium originans est actus intelligendi; originatum est actus definiendi; et praeter habitudinem communem quae inter quamlibet causam et quemlibet effectum inveniuntur, etiam adest habitudo prorsus intelligibilis secundum quam actus intelligendi ~~intelligendi~~ actum definiendi intellectualiter necessitat et iterum definitio talis est qualis est propter rei essentiam simplicis intelligentiae actu perspectam.

Pariter qui iudicium profert, non secundum caecam quamdam mentis spontaneitatem agit, sed ex evidentia sufficiente qua sufficiente ~~perspecta~~ secundum processionem stricte intelligibilem operatur. Quo in exemplo principium originans est operatio quaedam ~~reflexa~~ reflexae intelligentiae in qua sufficientia ~~evidentiae~~ ad tale quoddam iudicium proferendum perspicitur; originatum vero seu operatum est ipsum iudicium; et praeter habitudinem communem quae inter quamlibet causam et quemlibet effectum invenitur, etiam adest habitudo illa prorsus intelligibilis secundum quam actus intelligendi reflexus intellectualiter iudicium necessitat et ipsum iudicium ex ipsa hac perspecta necessitate oritur.

Tertio denique qui appetitu rationali actum volendi elicit, non caeca spontaneitate neque naturali tantum necessitate sed secundum processionem aliam intelligibilem agit. Cum enim voluntas sit appetitus rationalis, supponit iudicium intellectus de bonitate seu valore. Quod iudicium quoddammodo causa est et actus volendi effectus est, secundum quod bonum apprehensum movet appetitum. Illud tamen interest inter actus voluntatis et motus sensualitatis quod hi spontanee oriuntur illi vero ratione et consilio, obligatione morali et libertate. Iudicium enim practicum seu iudicium de valore non solum causa est volendi sed etiam perspectam necessitatem moralem voluntati imponit; et ipse actus voluntatis, utpote actus appetitus rationalis, ideo oritur quia per intellectum perspicitur quod oriri debet.

5. Imago Dei in Homine.

Quibus perspectis, illud habemus ex quo analogice ad divinas processiones accedere poterimus.

Exordientes enim diximus processionem esse originem unius in alio vel ab alio.

Exclusimus originem in alio, quia sic perfectibile perficiendum supponitur; quod admitti nequit in Deo infinite perfecto.

Exclusimus etiam processionem in aliquid extra Deum, nam de processionibus Deo intraneis agitur.

Remanebat ergo operatio immanens, ~~nam~~ et quidem eiusmodi operatio, non secundum quod ipsa potentiam vel habitum perficit, sed secundum quod ex ipsa aliquod operatum procedit.

Quae tamen processio operati ex operatione seu actus ex actu duplicem praebet aspectum. Alius enim est aspectus communis secundum quem omnis effectus ad causam suam efficientem refertur. Alius autem est aspectus qui naturae intellectuali est proprius, secundum quod processio est stricte intelligibilis.

Iam vero aspectus communis qui in omni causa omnique effectu invenitur ad divinam naturam transferri non potest. De ipsa enim ratione huius aspectus est quod aliud est causa et aliud est effectus, secundum notissimum illud, "nihil esse causam sui."

At processio stricte intelligibilis duos actus realiter inter se distinctos ex ipsa sua ratione non exigit. Nostri actus definiendi realiter quidem ab actibus simplicis intelligendi ~~differe~~ differunt, nam a diversis a objectis specificantur: definitio enim abstractam rei essentiam dicit, simplex vero intelligentia intelligibile in ipsis sensibilibus modo concreto conspicit. tertium aliud est obiectum intelligentiae reflexae, nempe, evidentia perspecta ut sufficiens, et aliud est obiectum iudicii, nempe, ens, verum, bonum. Denique non solum alii sunt actus sed etiam aliae in nobis sunt potentiae intellectivae et ~~in~~ volitivae.

Quae tamen differentiae in Deo actu puro non existunt. Cum enim Deus non sit forma in materia, idem quod simplici intelligentia invenitur etiam conceptu dicit. Cum in Deo aliud non est esse et aliud ~~nam~~ essentia, pariter in Deo aliud non est iudicium quo se affirmat et verbum quo se concipit. Denique cum in Deo idem sit intellectus et voluntas, idem intelligere et velle, etiam ex hac parte tollitur illa multiplicitas quae ad communem rationem causae et effectus exigitur.

At etiam si multiplicitas actuum in Deo admitti non possit, non statim sequitur processionem intelligibiles esse excludendas. Idem actus purus est et ipsum intelligere et verbum summa veritate identitatem ~~ipsum~~ ipsius intelligere cum ipso esse affirmans; et tamen non constat repugnantia eius quod ~~ipsum~~ verbum divinum intelligibiliter ex ipso intelligere procedat. Idem est verbum divinum affirmans esse et bonitatem infinitam Dei et idem actus amoris hanc bonitatem amplectens; et tamen non constat repugnantia eius quod actus amoris intelligibiliter ex verbo procedat.

aliud